

## §. X.

Si Judæorum sententias de libro Recti inquiremus, primum sibi locum vendicant, qui librum Recti nostram ætatem talis tradunt. Varii libri a Judæis circumferuntur, quibus titulus *liber Recti* est præfixus. Talis est ספר הישר *Liber Recti*, quem scripsit R. Schabbatai Carmuz Levita, cujus argumentum est morale de rebus, ad animæ directionem spectantibus, agens. Est conscriptus anno Mundi 5154. Chr. 1324. extatque Mst. in Biblioth. Vatic. papyr. in 4. referente Bartol. *Bibliothec. M. Rabb. Part. IV. p. m. 365.* Alius ספר הישר *Liber Recti* scriptus est à R. Tham, qui ex Salomonis Jarchi filia fuit nepos. Hic est liber legalis, tractatque de juribus Judaicis, octodecim capitibus constans, excusus Italiæ anno 304. h. e. Chr. 1544. & Cracoviæ anno 346. Chr. 1586. teste eodem Bartol. *l. c. p. 447. & Part. III. p. 868.* Sed hi duo libri sunt recentiores, neque huc spectant, neque a Judæis pro nostro libro Recti venditantur. Tertius autem ejusdem nominis liber est anonymus, qui a Judæis quibusdam pro nostro libro Recti habetur. Explicat ille historias contentas in Pentateucho, libro Josuæ & Judicum, multaque addit ad modum paraphrasium curiosa quidem, sed plerumque fabulosa. Prima vice Neapoli prodiisse refertur, deinde Venetiis apud Petrum Aloysium, & Laurentium Bragadinum Anno ה'שפ"ה 5385. Chr. 1625. in 4to. Vid. Bartoloccius *Part. III. B. R. p. m. 935.* R. Sabbathai in *Siphte Jeschenim fol. 31. a.* refert, quod idem liber sit excusus Cracoviæ anno ה'שפ"ה 385. h. e. Chr. 1625. & Pragæ anno תכ"ח 428. h. e. Chr. 1668. in 4to. Porro in Germanicam translatus est linguam a R. Jacobo, qui eundem תם הישר appellavit, excusus Francofurti ad Mœnum anno ג'אל"ד 434. h. e. Chr. 1674. Et quo certius de eò constet, adducere libet ea, quæ editor ejus primus præfationis loco præmisit, & ex editione Pragensi latine versa hujus sunt tenoris: “ Notum est, & per-  
“ venit ad manus nostras hodie, quod, cum vastaretur Hi-  
“ erosolyma urbs Sancta per Titum, ingressi sint omnes  
C 3 duces